



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Articulus 3. Vtrum virtus Pœnitentiæ sit specialis iustitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

quente disputatione amplius declarabimus, & confirmabimus.

Ex his etiam facilis est solutio ad primum. In qua Diuus Thomas ait, displicentiam peccati esse actum elicitem a charitate, intentionem vero operandi deletionem peccati esse actum elicitem ab speciali virtute poenitentiae. Nam hoc secundum verum est de intentione operandi per modum iustitiae, seu recompensationis, quam vocauimus reductionem inaequalitatis, quam facit iniustitia, ad aliquem modum aequalitatis. Illud autem primum est verum de illa displicentia per quam fit haec recompensatio, eo modo quo ab homine fieri potest. Cum hoc tamen fiat, vt sub propriis rationibus possit & poenitentia elicere displicentiam peccati, & charitas intentionem, seu voluntatem destruendi illud, vt in superioribus visum est.

In solutione ad tertium (nam solutio ad secundum satis iam explicata est) ait Diuus Thomas poenitentiam effectiue expellere omne peccatum, quamlibet autem virtutem specialem formaliter expellere habitum vitij oppositi. In quibus verbis considerari in primis potest diuersimode, & quasi aequiuoce sumi vitium & peccatum: nam cum poenitentia dicitur effectiue excludere peccatum, sermo est quoad maculam, & culpam & etiam reatum poenae: & ideo subdit Diuus Thomas, prout peccatum est remissibile per gratiam Dei homine cooperante. At vero quando virtus specialis dicitur formaliter expellere vitium oppositum, sermo est de vitio pro habitu virtutis, nam actus virtutis non formaliter, sed effectiue expellunt habitum vitij: contrarij, licet actus formaliter expellant: quo modo necesse est etiam poenitentiam expellere formaliter habitum vitij oppositi. Deinde propositio ipsa, quo poenitentia expellit effectiue peccatum, difficilis est, & controuersiam habet, quam infra tractando de effectibus poenitentiae examinabimus. Nunc breuiter planus sensus esse videtur, poenitentiam dici effectiue expellere peccatum, quia per se intendit destructionem eius, & ita mouet hominem, vt operetur quod ex parte sua necessarium est, vt poenitentia per gratiam expellatur, seu remittatur: hunc enim sensum habent illa D. Th. verba. In quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile per gratiam Dei homine cooperante.

Præterea: Super illud Luc. 6. Beati qui nunc stertis, dicit Glossa. Ecce prudentia, qua ostenditur, quam haec terrena sint misera, & quam beata celestia. Sed flere est actus poenitentiae. Ergo poenitentia magis est species prudentiae, quam iustitiae.

Sed contra est, quod Aug. dicit in libr. de Poenitentia. Poenitentia est quadam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolo commisit. Sed vindictam facere pertinet ad iustitiam: vnde Tullius in sua Rhetor. ponit vindictam vnam speciem iustitiae. Ergo videtur quod poenitentia sit species iustitiae.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolo de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quod poenitens dolo, de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensa contra aliquem commissa, non fit per solum cessationem offensa, sed exigitur ulterius quadam recompensatio, quae habet locum in offensa, sicut & retributio: nisi quod recompensatio est ex parte eius, qui offendit (vixit cum satisfactione) retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrumque autem ad materiam iustitiae pertinet: quia vtrumque est commutatio quaedam. Vnde manifestum est, quod poenitentia secundum quod est virtus, est pars iustitiae. Sciendum tamen est, quod secundum Philosophum in 5. Ethic. dupliciter dicitur iustum, scilicet simpliciter, & secundum quid. Simpliciter quidem iustum est inter aequales, eo quod iustitia est aequalitas quaedam. Quod ipse vocat iustum politicum vel civile, eo quod omnes ciues aequales sunt, quantum ad hoc quod immedie sunt sub principe, sicut liberi existentes. Iustum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius: sicut seruus sub domino, filius sub patre, vxor sub viro. Et tale iustum consideratur in poenitentia. Vnde poenitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut seruus ad dominum, secundum illud Psalm. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et sicut filius ad Patrem, secundum illud Luc. 15. Pater peccati in calum, & coram te. Et sicut vxor ad virum: secundum illud Hierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Ad 1. Ergo dicendum, quod (sicut in 5. Ethic. dicitur, iustitia est virtus ad alterum: ille autem ad quem est iustitia non dicitur esse materia iustitiae, sed magis res, quae distribuitur, vel commutatur. Vnde & materia poenitentiae non est Deus, sed actus humani, quibus Deus offenditur, vel placatur: sed Deus se habet, sicut ille ad quem est iustitia. Ex quo patet, quod iustitia non est virtus Theologica, quia non habet Deum pro obiecto vel materia.

Ad 2. dicendum, quod medium iustitiae est aequalitas, qua constituitur inter illos, in quos est iustitia, vt dicitur in 5. Ethic. In quibusdam autem non potest perfecta aequalitas constitui propter alterius excellentiam: sicut inter patrem, & filium: inter Deum, & hominem, vt Philosophus dicit in 8. Ethic. Vnde in talibus ille, qui est desiciens, debet facere quicquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter: sed solum secundum acceptionem supereroris. Et hoc significatur per excessum, qui attribuitur poenitentiae.

Ad 3. dicendum, quod sicut est commutatio quaedam in beneficiis (cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel iniuriis puniatur, quod pertinet ad vindictam iustitiam: vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quae respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindictiua personam iudicis: vnde manifestum

ARTICVLVS III.

Virum virtus poenitentiae sit species iustitiae.

Infra ar 4. cor 4 d. 14 q. 1 ar. 1. q. 4 ad 4. q. 3. per 10. d. 15 q. 1 ar. 1. q. 3. ad 4. 2. q. 62 ar. 2. & 3.

De tercio sic proceditur. Videtur quod virtus poenitentiae non sit species iustitiae. Iustitia enim non est virtus Theologica, sed moralis, vt in secunda parte patet. Poenitentia autem videtur esse virtus Theologica, quia habet Deum pro obiecto: satisfaci enim Deo, cui etiam reconciliat peccatorem. Ergo videtur, quod poenitentia non sit species iustitiae.

Præterea: Iustitia, cum sit virtus moralis, consistit in medio. Sed poenitentia non consistit in medio, sed in quodam excessu: secundum illud Hierem. 6. Luctum virginitatis facite vobis planctum amarum. Ergo poenitentia non est species iustitiae.

Præterea: Duae sunt species iustitiae (vt dicitur 5. Ethic.) scilicet distributiua, & commutatiua. Sed sub neutra videtur poenitentia contineri: ergo videtur quod poenitentia non sit species iustitiae.

sum est, quod utraque sub iustitia commutativa continetur.

Ad 4. dicendum, quod poenitentia, licet sit directæ species iustitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est iustitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea, quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro obiecto. Unde poenitentia est cum fide passionis Christi, per quam iustificamur à peccatis: & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva omnium moralium virtutum. Sed ex ipsa ratione iustitiæ non solum habet id, quod iustitia est, sed etiam ea, quæ sunt temperantiæ, & fortitudinis, in quantum, scilicet, ea, quæ delectationem causant, ad temperantiæ pertinent, & vel terrorem incurrunt, quem fortitudo moderatur, in communionem iustitiæ veniunt. Et secundum hoc ad iustitiam pertinet & abstinere à delectabilibus, quod pertinet ad temperantiæ, & sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

COMMENTAR IVS.

Respondet D. Thomas, poenitentiam esse quandam iustitiam hominis ad Deum, quæ non est iustitia simpliciter, sed secundum quid. Maius assercionis prioris partem optime colligit ex principio posito in articulo præcedenti, quod ad poenitentiam spectat dolere de peccato, ut offensa Dei est cū animo recompensandi iniuriam in Deum commissam: quæ est materia iustitiæ. Circa quam rationem solum occurrit aduertendum confirmare hoc loco D. Thomam expositionem datam in articulo præcedente circa specialem rationem, sub qua poenitentia verificatur circa peccatum ut offensa Dei est, & interdit destructionem eius, scilicet, quatenus per modum recompensationis fieri potest.

Ex hac etiam parte huius articuli colligi potest iuxta mentem D. Thomæ, poenitentiam non solum intendere destructionem peccati, sed etiam dolere de illo, in quantum offensa Dei est emendabilis per recompensationem: & ideo ait dolere de malo perpetrato commune esse charitati cum poenitentia: esse tamen proprium poenitentia sub illa speciali ratione. Deinde in hac eadem parte oportet aduertere, D. Thomam non expresse declarare ad quam iustitiam poenitentia pertineat, an scilicet ad commutativam, distributivam, aut vindicativam: insinuare tamen, esse quandam commutativam iustitiam, dum ait hanc recompensationem esse commutationem quandam, & in solutione ad 3. clarius exponit. Et Caietanus id bene declarat, & defendit contra Scotum, distinguens in poenitentia actum primarium, qui consistit in recompensatione culpæ: & secundarium, qui spectat ad satisfactionem pro pœna. Indicat vero Caietanus hunc posteriorem actum pertinere ad distinctam virtutem à poenitentia, nempe ad quandam iustitiam vindicativam, quæ etiam est quædam species commutativæ. Nam vindicativa iustitia (inquit) continetur sub commutativa tanquam species sub genere. Quod vero illi actus pertineant ad distinctas virtutes, ex eo declarat, quod in prioria actu poenitentiam se habet ut reus & debitor, solvens, prout potest, in posteriori actu se gerit ut minister iudicis, puniens se ipsum ut reum. Veruntamen, ut supra dixi, non oportet multiplicare virtutes: nam cum hac vindicta in satisfactionem pœnæ sit voluntaria, & amicabile, tota refertur ad plenioris recompensationem & destructionem culpæ: & quod in hoc actu se gerat poenitens aliquo modo ut minister Dei, non refert, quia potest esse minister voluntarie se puniens ex virtute poenitentia: Adde, fortasse etiam in

Fr. Suarez tom. 4.

ter homines iustitiã vindicativam, prout servat æqualitatem cõmutativam, non esse distinctam à communi virtute iustitiæ cõmutativæ, licet fortasse addecre possit imperium iustitiæ legalis, de quo alias.

Alteram conclusionis partem solum probat D. Thomas ex ea conditione iustitiæ, quæ est esse ad alterum: nam in hac deficit poenitentia à ratione iustitiæ simpliciter: quia est hominis ad Deum: inter quos, licet sit personalis distinctio, est tamen quædam coniunctio maior, & eminentior, quã sit in hominibus inter servum & dominum, filium & patrem, uxorem & maritum: quatenus homo totus est sub dominio Dei: & quidquid habet, magis est Dei, quam ipsius hominis. Ex qua coniunctione nascitur, ut poenitentia deficiat ab exacta ratione iustitiæ, & ideo dicitur esse iustitia secundum quid. Ex quo intelligi potest, illam particulam secundam quid, non minuire in poenitentia rationem virtutis simpliciter, imo nec perfectionem, & excellentiam eius supra iustitiam humanam, quæ dicitur esse iustitia simpliciter: nã sine dubio est perfectior virtus, ut ex obiecto, & sine eius facile constat: neque etiam minuire in illa omnem conditionem iustitiæ: nam illa, quæ est respicere in sua materia rationem debiti rigorosi, sine dubio est exacta in hac iustitia, & maior, quam in humana iustitia: nam iniuria, quæ fit Deo, maior est. Minuit ergo illam conditionem ad alterum, quæ ad perfectam, & rigorosam iustitiam necessariam esse dicitur. De qua conditione, aliter quæ ad iustitiã inter hominem & Deum pertinere possunt, dixi latius in primo tomo disp. 4.

An vero hæc virtus poenitentia deficiat à ratione iustitiæ, etiam in reddendo æquale, D. Thom. hic nõ declarat in corpore articuli: attingit vero illud Caietanus disputans cum Durando, & Scoto. Et in summa dicit, in primario actu deficere poenitentiam ab hac perfectione iustitiæ: in secundo vero actu qui est satisfacere pro pœna, posse æqualitatem servare. Quam resolutionem eatenus veram esse cenleo, quatenus verum est hominem posse satisfacere de condigno pro pœna, non vero pro culpa: quod in prædicto loco D. Thomæ tactum est, & ex discursu huius materiæ cõstabit. D. Thomas autem hic in solutione ad 2. absolute dicit poenitentiam deficere à perfectione iustitiæ in facienda æqualitate. Et declarat virtute hoc contineri in priori ratione: nam propter excellentiam personæ, ad quam hæc virtus ordinatur, nõ potest eadem virtus æquale illi reddere: & ideo nõ potest reddere æquale nisi secundum acceptationem superioris. Et hæc sufficit etiam pro solutionibus argumentorum. Nam quod in primo D. Thomam attingit, quo modo Deus pertineat ad materiam poenitentia supra disp. 2. tractatum est, & sequenti etiam attingetur. In solutione vero ad 2. tractat, quo modo poenitentia & aliquid habeat iustitiæ vindicativæ, & nihilominus sub cõmutativa contineatur: quod iam declaratum est. Denique in solutione ad 4. docet quo modo poenitentia connexionem quandã habeat cõ aliis virtutibus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas sit proprie subiectum poenitentia.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod subiectum poenitentia non sit proprie voluntas, poenitentia enim est tristitia species. Sed tristitia est in concupiscibilis sicut & gaudium.

Ergo poenitentia est in concupiscibili.

Præterea: Poenitentia est vindicta quædam, sicut dicitur in libro de Poenitentia. Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere: quia ira est appetitus vindictæ. Ergo videtur quod poenitentia sit in irascibili.

Quomodo poenitentia dicitur iustitia secundum quid.

4

4 d. 14 q. 2. ar. 3 q. 1 per 20 et q. 1 cor.

In li. de Vera & falsa poenit. c. 8 ad medio to 4.